

conjuges admoniti consensum secum renovare potuerint; melius tamen est ut Parochus interveniat, quando impedimentum, absque incommodo, utriusque manifestare potest, ad tollendas ambages, aut moram quam conjuges interponere possent. *S. Lig. n. 1110-1112.*

1077. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst.* Non recte egit hac secunda vice FLORIMUNDUS Parochus, statim conjugibus impedimentum novum patefaciendo, priusquam dispensationem obtinisset; debuisset iterum agere, prout egit prima vice, seu postulare secreto dispensationem, et, ea obtenta, prudenter procedere ad matrimonium revalidandum; secus enim conjuges putatitii, interea, periculo peccandi formalitèr in usu matrimonii exponerentur. Præterea prudentia caruit FLORIMUNDUS, tam præcipitanter et tam clare novum matrimonii vitium aperiendo; potuit enim præbere causam uxori turpitudinem mariti sui graviter suspicandi, cum periculo jurgiorum et odiorum inter conjugatos.

1078. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst.* Non recte egit FLORIMUNDUS Parochus, procedendo secunda vice ad matrimonii revalidationem. Etenim dispensatio obtenta a S. Pœnit., ut est dispensatio quæ obtinetur de impedimento affinitatis ex copula illicita, fulminari tantum debet in foro interno ab ipso Confessario. Ergo graviter erravit Parochus dispensationem exsequendo in foro externo, et testes adhibendo, præsertim loquacem ancillam in re secretissima. Mulieres sane ut testes adhiberi possunt in matrimonii solemnitate tantum ubi nullum est servandum secretum, sed e contrario, testimonium publice perhibendum. In casu autem nostro, nullus testis fuisset adhibendus, et a fortiori nulla femina, et res tota in confessione peragenda erat cum uno ex conjugibus prudenter admonito de matrimonii invaliditate, et de necessitate obtinendi renovationem consensus contractus, nisi dispensatio fuerit in radice. In casu, facilius admoneretur vir, utpote criminis reus, et ad confitendum induceretur; clarius enim intelligeret quare matrimonium renovandum esset. *V. Comp. n. 880 et 884.*

## CASUS DE CONJUGUM DIRECTIONE

### SEU

*Præsertim circa debitum matrimoniale, et ejus abusum, seu onanimum.*

### CASUS I.

#### OBLIGATIO DEBITI.

1<sup>o</sup> URSULA, uxor, ob dolores partus et nutritionis incommoda maximo tædio affecta, statuit in posterum debitum marito non amplius concedere. Cum autem nollet a proposito suo recedere, absque absolute a Confessario dimittitur.

2<sup>o</sup> GERMANA, materfamilias, debitum viro præstare non vult, ex eo quod prolem numerosiorem jam habeat, et insuper bonis fortunæ destituatur: melius enim est, inquit, filios non parere, quam eos ad miseram vitam procreare.

3<sup>o</sup> AGNES debitum viro denegat, quia novit tum ex propria experientia, tum ex medicorum declaratione, se absque probabili mortis periculo parere non posse.

4<sup>o</sup> VICTORIA magna tristitia laborat, eo quod omnes filii quos genuit nati sunt mortui; quapropter nullos alios in posterum generare statuit, adeoque debitum marito denegare.

5<sup>o</sup> TECLA in magna anxietate conscientie versatur, propter virum qui frequenter solet debitum conjugale persolvere modo venialiter malo, v. g. situ innaturali. Nollet peccato viri cooperari, licet leve sit; sed timet ne ipsi displiceat, eumque contristet. Quærit igitur quid facere possit, vel debeat?

HINC :

QUÆR. *Quid sentiendum in præfatis casibus?*

SOLUTIO :

1079. — *R. In primo casu* URSULA non potest a peccato, et quidem gravi, immunis esse. Recte igitur absque absolute a Confessario dimissa est. Uxor excusari nequit a debito reddendo ob ordinaria partus vel nutritionis incommoda, neque ob dolores moderatos, aut etiam graves sed non diuturnos, v. g. capitis per plures menses post partum, neque ob valetudinem aliquo modo debilitatam, quia hæc omnia conditioni matrimoniali sunt annexa; et uxor, vi contractus, corpus suum ad finem generationis tradendo, censetur se obligasse ad omnia incommoda generationem concomitantia, vel subsequenta.

1080. — *In secundo casu* GERMANA excusari nequit a debito matrimoniali, nisi de consensu viri. Ratio est, quia procreatio prolis spectat ad præcipuum finem matrimonii cui postponendum est quodvis incommodum *de se* non extraordinarium. Secus enim obligatio debiti facillime et plerumque declinari posset a muliere, cum magno viri gravamine, et incontinentiæ periculo. Debebat igitur GERMANA ad hæc incommoda attendere antequam nuptiis inhiaret: in præsentem vero ut ea subeat necesse est. Confidat autem in Deo summe providenti, qui *dat jumentis escam ipsorum, et pullis corvorum invocantibus eum. Ps. 146. 9. — S. Lig. n. 941.*

1081. — *In tertio casu* AGNETI indulgendum est. Etenim non tenetur ad debitum reddendum uxor quæ in tantis constituitur angustiis, quia solutio debiti cum detrimento gravi urgere nequit; mulier enim matrimonium contrahens non censetur se obligare ad onera omnino extraordinaria, et ad vitam suam prodendam, ut marito obtemperet. Attamen plerumque attendendum non est ad dolores primi partus, cum majores in hoc esse soleant. *S. Lig. n. 953.*

1082. — *In quarto casu* non videtur inquietanda VICTORIA *per se*, si infortunium illud proveniat ex aliquo vitio organico ex quo partus difficilimus efficitur, et foetus, antequam in lucem prodeat, exstinguitur. Ratio est, quia remedium huic malo non suppetit, et hoc nimium generat mœrorem. Excipe tamen, si dissidia inter conjuges ex debiti denegatione subsequutura sint. *S. Lig. n. 952-953.*

1083. — *In quinto casu*, quid vero TECLÆ respondendum? *Per se* ab omni obligatione excusanda est. Ratio hujus decisionis est, quia actus conjugalitatis tali modo exercitus est illicitus; vir autem ad actum illicitum jus strictum habere non potest. Potest tamen uxor debitum simili modo peragendum permittere ex aliqua rationabili causa, v. g., si incommoda notabilia ex debiti denegatione timeat, nempe viri aliquam offensivam, etc. *S. Lig. n. 946.* Cæterum non sunt ingerendi scrupuli ingenuæ mulieri, quæ pro bono pacis, et ne quid pejus contingat, marito obtemperat quoties agitur tantum de culpa veniali, quam facile impedire nequit. *Billuart, Reuter, etc.*

## CASUS II.

### OBEX AD DEBITUM 1°.

1° LEONIA, puella annos viginti nata, votum castitatis perpetuum emit. Pluribus autem annis abhinc elapsis, a parentibus inducta, nuptiis favorabilibus quæ occurrunt, corde et animo inhiat. Ast quid de voto? Illud nemini aperire audeat. Hoc igitur non obstante, matrimonium perficit; verum mox angustiae incipiunt. Statuit quidem solutionem ab illo vinculo quamprimum petere; sed interea debitum marito petenti reddere cogitur; imo, ut ipsi placeat, aliquando et ipsa petit. Denique, stimulis conscientiae agitata, adit Confessarium cui omnia pandit.

2° ROSALIA, matrimonio bona fide contracto, mox incipit dubitare de aliquo affinitatis secreto impedimento. Perseverat nihilominus in cohabitatione cum viro, donec de matrimonii nullitate certa fiat. Comperto autem postea impedimento, quærit anxia a Confessario quid sit faciendum? « Neganda omnino cohabitatio, inquit ille, usquedum dispensatio obtenta fuerit. » Sed pessimus exitus consilii sequitur; inducitur enim ROSALIA ad debitum viro furenti reddendum ex metu gravissimo, imo sub mortis periculo, atque, ut e tantis angustiis eripatur, votis mariti obtemperat.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid agendum a Confessario cum LEONIA in primo casu? An ei permittendum ut debitum petat et reddat, instante viro, donec a voto dispensetur?*

2° *An ROSALIA, in secundo casu, debitum marito reddere possit, ut vitet malam tractationem, vel mortis periculum?*

3° *An saltem passive se habere possit?*

4° *Quis ab impedimento in utroque casu dispensare valeat?*

SOLUTIO :

1084. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæst.* LEONIA 1° nec petere nec reddere potest debitum primo bimestri a die celebrationis matrimonii, si tempus illud non adhuc effluxit. Ratio est, quia hoc tempore conjuges, ex privilegio divino per Ecclesiam declarato, eximuntur obligatione debiti reddendi, ut videant an statum religiosum amplecti velint. *V. Comp. n. 759.*

1085. — 2° LEONIA potest quidem debitum reddere, elapso primo bimestri, ut juri compartis satisfaciat; sed non potest petere, donec a voto dispensetur, quia hoc esset voti violatio. — 3° Debet autem omnino abstinere a debito conjugali, si alter consentiat, vel jus petendi amiserit, v. g. per adulterium, vel incestum. *V. Comp. n. 780.*

1086. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæst. Nego* omnino. Ratio est, quia, nullitate matrimonii certo cognita, copula conjugalitatis ROSALIÆ esset vere fornicaria; atqui fornicatio est quid intrinsece malum: ergo nunquam licita est, ne ad mortem quidem vitandam; nec refert quod maritus ignorans impedimentum sit in bona fide, et jus suum, ut putat, prosequatur, quia, stante matrimonii nullitate, nullum jus habet, licet se habere existimet.

1087. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæst. Controvertitur.* Hic redit casus utrum mulier vi oppressa debeat potius permittere se occidi quam violari. Duplex datur sententia probabilis: prior negat, quia mulier se passive habendo rei intrinsece malæ cooperatur; posterior vero affirmat, quia mulier se passive habendo nullum actum ponit, sed tantum ex gravissima causa, seu ex metu mortis, omittit resistentiam externam, et denegat positive omnem consensum internum: hæc autem permissio non est cooperatio formalis, sed mere materialis, et sufficienter metu mortis excusatur. Verum supponitur semper nullum adesse periculum consensus in delectationem veneream. *V. Comp. tr. de Act. hum. n. 21, et de 5° Præc. n. 390. — S. Lig. l. 4, n. 368.*

1088. — *Objicies* : Si mulier se passive habere potest, juxta sententiam probabiliorē modo enuntiatam, ergo simpliciter debitum reddere potest, siquidem hoc est pro muliere idem ac se passive habere.

*R. Nego conseq. et paritatem.* Ratio est, quia, secundum usum communem loquendi, reddere debitum minime idem est ac se passive habere : etenim reddens debitum vere cooperatur, cum consentiat in viri actionem, et corpus suum ejus voluntati simpliciter subjiciat; dum mulier quæ se passive habet, ex dictis 1° in actionem viri minime consentit; 2° consensum in delectationem constanter excludit; 3° vi opprimitur, et ex solo metu gravissimo resistantiam externam omittit. *Elbel, n. 419, 423.*

1089. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* Episcopus in utroque casu dispensare potest. Etenim, *in primo casu*, Episcopus dispensare potest a voto castitatis, contracto matrimonio, in ordine ad usum matrimonii restituendum : sic ex consuetudine, juxta communem sententiam. Insuper reservatio hujus voti Summo Pontifici cederet in destructionem, non in ædificationem, cum tantum periculum in hoc casu communiter instet. *S. Lig. n. 987. — Recole dicta cas. 2, de impedimentis matrimonii, ad 2<sup>m</sup> Quæ. n. 930.*

1090. — *In secundo autem casu* dispensare etiam potest Episcopus, licet agatur de impedimento dirimente, quia ingens datur periculum in mora, juxta superius dicta *cas. 1, de Disp., ad 2<sup>m</sup> Quæ. n. 1034. — S. Lig. n. 1123, et alii communiter.*

## CASUS III.

## OBEX AD DEBITUM 2°.

BASILISSA, pia mulier, contracto matrimonio, statuit castitatem conjugalem servare quam perfecte fieri possit, illæso mariti jure. Quapropter ea de re votum emittit. Sed postea quærit quomodo votum illud servare possit, vel debeat : an viro blandiri possit, et sic ei occasionem dare debitum conjugale petendi? Adeo autem voto adhæret, ut quamlibet ejus commutationem respuat. Interea autem HIPARCUS, vir ejus, in contrariam abiens viam, adulterio, imo et incestu cum ejusdem BASILISSÆ consobrina secreto se contaminavit.

HINC :

QUÆR. 1° Quomodo amittatur jus ad debitum petendum?

2° An conjux votum emittere possit debitum non petendi?

3° A quo jus amissum sit restituendum?

4° Quid ad casum?

SOLUTIO :

1091. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæ.* Amittitur jus petendi debitum :

1° *Per adulterium.* Conjux innocens non tenetur debitum reddere comparti qui adulterium admisit, quia frangenti fidem fides non amplius debetur, ut ex verbis J. Christi ipsius constat. Attamen adulter non peccat, debitum petendo, licet non possit stricte illud exigere; posset etiam

illud exigere, si compars ei condonaverit, vel si ipse in idem crimen lapsus fuerit, quia tunc esset compensatio injuriæ. Quid vero, si compars innocens crimen ignoret? Adulter potest petere et exigere debitum, quia non tenetur sibi ipsi pœnam infligere, nemine cogente.

1092. — 2° *Per affinitatem* matrimonio supervenientem, nempe, si unus conjugum incestum commiserit cum consanguineo alterius in primo vel in secundo gradu. Tunc incestuosus non potest debitum petere : potest autem et debet reddere, quia alter innocens puniri non debet. Attamen aliquando etiam petere potest, si advertat quod alter petere non audet, et versetur in periculo incontinentiæ, vel si mulier ex verecundia abstinere videatur, quia tunc est potius reddere quam petere.

1093. — 3° *Per votum castitatis*, sive emissum sit ante sive post matrimonium. Conjux voto ligatus non potest petere debitum; tenetur autem reddere, sicut dictum est modo de impedimento affinitatis, si excipiatur primum bimestre, in quo reddere nequit, quia alter tunc temporis nullum jus habet. Si vero uterque conjux votum castitatis emisit, nullus neque debitum petere, neque reddere potest. *V. Comp. n. 780-910-915. — S. Lig. n. 930. — V. supra cas. 2, de impedim. ad 1<sup>m</sup> Quæ.*

1094. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæ. Distinguendum est.* Non potest seorsim uterque conjux emittere votum non petendi debitum simpliciter sine restrictione, quia aliquando votum illud alteri valde onerosum evaderet, et jus illius læderet : sic vir, qui debitum petere solet, ut consuetudo est virorum, vovere nequit petitionis omissionem, quia gravamen notabile uxori crearet. Multo facilius autem uxor votum hujusmodi facere potest, quia uxores sic communiter petere non solent, vel petitionem omittendo non sunt viris onerosæ. Responsio igitur ad *Quæsitum* a solis circumstantiis personarum pendet.

1095. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæ.* 1° Jus debitum petendi restitui potest ab Episcopo. Etenim, licet pœna hæc lege communi Ecclesiæ sit constituta, Episcopus tamen in ea dispensare potest, saltem ex consuetudine generali ubique vigente, ut testantur communiter Theologi. Episcopus autem dispensare potest in iis omnibus quæ obstant exercitio jurium matrimonialium. Potest quoque hanc facultatem delegare non solum in particulari, sed etiam modo generali. *S. Lig. n. 1076.*

2° Restitui etiam potest jus petendi debitum a Regularibus, ut constat ex eorum privilegiis, sed de licentia Superiorum suorum. *S. Lig. n. 1076-1126, etc. — V. Comp. n. 124 et 175, de Statibus.*

1096. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæ.* *In primo casu* valet votum BASILISSÆ, cum hujusmodi votum non videatur viro onerosum, nec proinde jura ejus ideo lædantur. BASILISSA igitur debitum petere nequit, sed reddere debet donec vir jus suum non amittat. Cæterum, uxor se gerere potest erga maritum ut aliæ honestæ uxores, quæ signa amicitiae convenientia viris suis præbent, eisque blandiuntur, ut eorum affectum foveant. Postquam autem vir jus suum amisit per adulterium aut incestum, non potest amplius debitum reddere : nam vovit castitatem servare tam perfecte quam posset, illæso jure mariti; atqui negando debitum, nullum jus violat, cum hic nullum jus amplius habeat. Ergo...

## CASUS IV.

## OBEX AD DEBITUM 3°.

1° NARCISSUS, AGATHÆ, maritus, triplicem patravit incestum, scilicet : 1° peccavit, dum esset ebrius, cum BLANDINA, AGATHÆ sorore; 2° peccavit cum filia BLANDINÆ, quam noctis tempore aliam esse putabat; 3° peccavit cum SYLVIA, sibimetipsi in secundo gradu consanguinitatis conjuncta. Cum autem ad confitendum accessisset, et hæc exposuisset, audit a Confessario se in triplex impedimentum ad petendum debitum incurrisse.

2° ROSALIA, RUFINI UXOR, metu gravi a VULPINO, mariti fratre, ad peccandum inducitur. Quapropter misera prohibetur a Confessario ne debitum petat, donec dispensata fuerit ab impedimento juri debitum petendi obstante.

HINC :

QUÆR. 1° *An ignorantia juris vel facti excuset a pœna privationis debiti?*

2° *An metus gravis ab eadem pœna eximat?*

3° *Quid ad utrumque casum?*

SOLUTIO :

1097. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* 1° Excusat certo ignorantia facti seu quando quis ignorat personam cum qua peccat esse compartis consanguineam. Ratio est, quia privatio juris petendi debitum est pœna pro peccato incestus inflicta; ubi autem deest culpa incestus, pœna incurri nequit.

2° *Probabilius* etiam excusat ignorantia juris, seu quando peccans ignorat legem Ecclesiæ, hanc pœnam constituentem. Ratio est, quia, cum pœna sit imposita a lege humana, ille qui cum ejus ignorantia contra illam operatur, excusatur a pœna, sicut excusatur a legis transgressione; prius enim est legem transgredi, quam pœnam ab ea impositam luere. Ita *communius* cum *S. Lig. n. 1072.* — *Suarez, Sanchez, etc.*

1098. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Affirm. probabilius,* licet metus a peccato non excuset. Ratio est, quia metus gravis excusat a legibus humanis, etsi a lege naturali eximere non valeat. Ita *communius* cum *S. Lig. n. 1071, contra alios.*

1099. — *R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* 1° *Quoad NARCISSUM :* 1° non amisit jus petendi debitum in primo casu, quia non peccavit formaliter, utpote ratione destitutus; 2° neque amisit jus in secundo casu, quia incestus ab eo patratus materialis tantum fuit, non vero formalis, cum ignoraverit complicem suam uxoris consanguineam esse; 3° neque in tertio casu, quia affinitatem contrahere non potuit cum propria consanguinea peccando: affinitas enim non contrahitur nisi per copulam viri cum consanguineis uxoris, et vice versa. *V. S. Lig. n. 1070 et seq. — V. Comp. n. 811-815.*

1100. — 2° *Quoad ROSALIAM :* Certo jus debitum petendi non amisit, si violentiam absolutam passa est, ut patet, siquidem, secluso peccato,

pœna incurri non potest. Imo *probabilius,* neque destituta est jure debitum petendi, licet graviter peccaverit; quia, ob metum gravem, a pœna ecclesiastica incestuosus inflicta excusari censetur, ut supra dictum est. Ergo erravit Confessarius, debiti petitionem ROSALÆ prohibendo, donec dispensationem obtinuerit; nulla enim dispensatione indigebat.

## CASUS V.

## INSTRUCTIO PRO SPONSIS ET CONJUGIBUS.

1° DOMITILLA, puella, accedens ad Confessarium : « Pater, inquit, proxime nuptura sum. Obligationes status matrimonialis penitus ignoro. Audiivi multa in eo reperiri salutis æternæ pericula, seu frequentes peccandi occasiones. Volo tamen animæ meæ prospicere. Velis igitur, Pater, mihi declarare quænam sint sub peccato mortali aut veniali prohibita. »

2° VENEFRIDA, a paucis diebus vel mensibus matrimonio conjuncta, accedit ad Confessarium, magna anxietate pressa circa ea quæ in statu conjugali licita vel illicita sunt, et enixe postulat ut ab eo de his omnibus instruat.

HINC :

QUÆR. 1° *Quid DOMITILLE respondendum, an expediat ut in particulari edoceatur?*

2° *Quomodo cum VENEFRIDA agendum?*

SOLUTIO :

1101. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* Confessarius valde prudenter et caute cum DOMITILLA procedere debet, nempe modo generali tantum, ad particularia minime descendendo; cavendum enim est ne scandalum pœnitenti creet, officia conjugum minutatim evolvendo. Hæc autem proferre potest : « Sanctum est matrimonium, vocaturque ab Apostolo *magnum in Christo et in Ecclesia* adeoque sancte in hoc sacro vinculo vivendum est. Non omnia sane in conjugio licita sunt, sed ea tantum quæ ad illius finem conducunt. Generatim obedientiam viro tuo præstare debes, nisi clare intelligas aliquid mali tibi præcipi, aut a te postulari. Ne tardes, quæso, ad sacrum Pœnitentiæ tribunal iterum accedere; tum autem, si difficultas quæpiam in mentem tibi venerit, eam Confessario tuo candide aperies. » *Reuter, Neo-Confessarius, part. 2, n. 113.*

1102. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Eadem fere cautela erga VENEFRIDAM, recens conjugatam, agendum est. Generatim non præeat Confessarius, sed interroganti pœnitenti respondeat tantum in genere, scilicet, ea conjugibus licere quæ ad proles susceptionem conducunt; nihil esse faciendum quod huic fini matrimonii adversetur; omnia honeste, et secundum ordinem a natura institutum peragenda esse. Confessarius igitur ad particularia non deveniat, sed sinat ut mulier proprias difficultates exponat, si quas habeat quibus angatur, et tunc iis breviter respondebit. *Reuter, Neo-Confessarius, ibid.*